

dini sua Diocesis. Denique Urbanus II. prohibuit, duos conjuges simul levare infantem; si tamen alicubi sit contraria consuetudo, fieri poterit, maxime cum Navarra, Viraldus, Sanchez, Tamburinus apud La-Croix num. 352. absolute putent. hodie licere, ideoque Suarez, Marchant. Aversa, & alii passim dicunt, illam constitutionem non esse usu receptam.

§. II. Ut quis validè fiat Patrinus,

105 **D**ebet pollere usu Rationis, habere intentionem suscipiendi ut Patrinus ex baptismo baptizatum, esse designatus à parentibus, & in horum defectu à Parocho, physice tenere infantem &c. quæ videri possunt apud Patritrium Sporer Theol. Sacram. parte 4. cap. 1. sect. 1. num. 82. & seqq. duo hic Addo. I. Si Patrini à Parentibus designati emaneant, & Parochus factus impatiens, alium designet in Patrinum, secundum Bejam parte 2. casu 4. peccat mortaliter, quia facit contra Jus Parentum, obtrudendo alium fortè non gratum, vel cum quo nollet habere cognationem, quæ cum hoc videtur contrahi; quia sufficit designatio Parentum, vel Parochi, uti habet Tridentin. & notat Tamburinus §. 2. numer. 12. & La-Croix lib. 6. part. 1. numer. 362. II. Non baptizatus nequit valide obire munus Patrini, juxta omnes DD. apud Gobat citat. numer. 555. & patet ex Can. In Baptismo, de consecr. distin. 4. ubi dicitur: In baptismo, vel in Chrismate non potest alium suscipere in filium, qui non est ipse baptizatus, vel confirmatus. Cur autem non baptizatus possit aliquid valide baptizare juxta supradicta de Ministro Baptismi, non tamen valide esse Patrinus, Ratio est; quia Ecclesia non admittit pro Patrino non baptizatum, admittit verò pro Ministro Baptismi non baptizatum, tam Christus, quam Ecclesia, & hoc vel maxime ob Sacramenti Baptismi necessitatem, qualis non reperitur in assistentia Patrini; Cum Baptismus sine Patrino collatus, semper sit validus, & quandoque etiam licitus.

§. III. Ut licitè quis obeat munus Patrini,

106 **D**ebet I. Non esse hæreticus; Tametsi enim hæreticus talis actus esse nullus. Sanchez de Matrimo. lib. 7. disp. 60. num. 2. licitè tamen per se loquendo admitti nequit ad Officiu Patrini. Ita communis, Sanchez, loc. cit. Suarez, quest. 67. art. 8. Marchantius in Candelabro tract. 2. lect. 13. Tannerus tom. 3. disput. 1. quest. 7. numer. 125. Gobat citat. numer. 559. Ratio est: quia oves non sunt tradendæ Lupis, à quibus nulla spes probæ educationis in fide sperari potest, quæ tamen est finis Ecclesiæ in designandis Patrinis. Unde si Catholicus Patrinus nequit haberi, potius debet omitti. Urgenti tamen gravi causa, vel necessitate (ut fieri solet in terris, ubi Catholici cum hæreticis permixti vivunt) etiam hæreticum admitti posse, tradit Layman lib. 5. tract. 2. cap. 9. numer. 7. Quia baptizatus in hoc casu potest, & deberet in vera fide Catholica instrui, vel à Parentibus, vel à Parocho, vel Ludimagistro, sed adhuc contradicunt Tannerus, alique communis, dicentes adhibere Patrinum hæreticum, esse intrinsecè malum. Duæ tamen praxes licitæ sunt: Prima est Tannerii, & Gobat citat. numer. 560. Ut baptizans in tali necessitate omittat omnia, quæ Patrinum concernunt, & infantem baptizatum reddat obstricti, & hæc postea reddat illam hæretico in Patrinum designato, & sic hic non fiet Patrinus, quia non tenuit physice infantem, dum baptizabatur, nec illum immediate à manibus baptizantis suscepit. Altera est aliorum in quibusdam urbibus A catholicis usurpata, ut baptizans, præter hæreticum, designet alium Catholicum ex voluntate Parentum, qui puerum baptizandum tangat, assistente hæretico, quasi ad honorem, & tunc inscribat libro Baptismali verum Patrinum Catholicum; notet autem, hæreticum fuisse tantum testem. An verò Catholicus possit esse Patrinus Infantis hæretici à Prædicante baptizandi? Layman, Tannerus, Gobat citat. numer. 565. & Bossembaum apud La Croix lib. 6. p. 1. n. 370. absolute affirmant, fieri posse optiam, & notabilem utilitatem; quia Patrinus per hoc tantum proficitur, quod puerum suscipiat in suam curam, instruendum in vera fide, facitque saltem hanc Cæremoniam Catholicè observari. La Croix verò cit. distinguendum putat; Nam si per hoc, quod Catholicus sit Patrinus infantis hæretici, censetur approbari Ritus A catholicus, patet, non licere; quia hoc foret intrinsecè malum; si autem hoc absit, uti ordinariè videtur abesse in Germania, dicendum est licere.

107 **II.** Non debet esse excommunicatus non toleratus.

Gobat cit. num. 555. Nec facinorosus, aut Criminosus: vel moribus infamis. Layman de baptismo, cap. 9. num. 2. Ratio primi est: quia prohibitum est, cum excommunicatis non toleratis habere communionem, præsertim in sacris. Ratio secundi est: quia criminosi, & moribus infames plus promittunt destructionis, quam instructionis in fide, & pietate, quæ tamen est finis Ecclesiæ in designandis Patrinis. Insuper Mutus ordinariè non debet esse Patrinus, quia non potest infantem docere rem fidei. Barbosa, & Fernandez, apud Gobat num. 555.

108 **III.** Non debet esse Proprius Parens baptizandi. Ita Herincx disputat. 7. de baptismo quest. 4. numer. 28. Layman citat. numer. 3. & Alii. Patet ex cap. pervenit ad nos. 30. quest. 1. Accedit Ratio: quia susceptor est ordinatus ad instruendam prolem in defectum Parentum, quibus proinde debet distinguui, idque adeo verum est, ut nequidem in defectum alterius possit admitti: Munus enim Patrini non est tantæ necessitatis. Vide plura de hoc apud Patritrium Sporer de Matrimonio, cap. 1. sect. 1. numer. 91. Nihilominus Gobat citat. numer. 568. putat, Patrem posse esse Patrinum sui Filii illegitimi, si ejus Matrem non teneatur ducere in uxorem, & num. 569. addit: Si mater moriatur in partu, aut Patet ante partum, etiam post sint legitimi conjuges, Parentem alterum supersititem posse esse Patrinum, vel Matrinam propriæ prolis: quia in his casibus non impeditur debitum conjugale, ut consideranti patebit.

109 **IV.** Non debet esse Abbas, vel Monachus, ex cap. Monachi, de consec. dist. 4. & cap. non licet, de consec. dist. 4. ubi dicitur: Non licet Abbati, vel Monacho, de baptismo suscipere filios, nec Commatres habere. Attamen Gobat cit. numer. 556. judicat, solos Monachos propriè dictos (qui videlicet vi suæ Religionis, ac hujus sine particulari, ad vitam contemplativam, & solitariam principaliter ordinantur) comprehendi hac prohibitione; quia lex correctoria & restrictiva Juris Naturalis, utpotè odiosa non debet extendi ultra proprietatem Verborum. Ergo non obstante illo Canone possunt Religiosi ex Ordine Caonicorum, Clericorum, Mendicantium obire illud munus, tamen repugnet Layman hic cap. 9. Nobis tamen Franciscanis specialiter in cap. 1. nostræ Regulæ S. Pater noster Seraphicus Franciscus firmiter præcepit: Ne fiant Comparæ virorum, vel Mulierum, ne hac occasione inter Fratres, vel de Fratribus Patrinis dicit: Præterea ad hoc munus admitti non debent Monachi, vel Sanctimonialis, neque alii cujuscunque Ordinis Regulares à seculo segregati. Subintelligitur tamen, nisi contrarium per legitimam consuetudinem introductum sit. Quod verò duo tantum debeant esse Patrini, & quod aliquis Patrinus munus possit obire pro procuratorem, vide apud Patr. Sporer Theol. Sacram. par. 4. cap. 1. sect. 1. num. 94. & 96. Ubi tamen horror Ministros Baptismi solemnibus, ut quando volunt baptizare, & aliquis substitutus sit. Quod si tamen tuum filiastrum femel doceris necessaria ad salutem, isque comprehenderit, quæ docuisti, & postea obliviscatur, non teneberis denuo inculare, hoc enim onus perpetuum non est injungendum sine claro Jure. Layman hic cap. ultim. num. 1. rectè addens, jam esse rarum usum, seu effectum memoris obligationis; quandoquidem solent infantes erudiri à Parentibus, Pædagogis, Ludimagistris. Quamquam illi Catholici, qui rogatu Parentum A catholicorum levant et lavacro Christiano ipsorum proles, obligentur in actu secundo sæpius, quàm Patrini Catholicorum: quandoquidem tales proles iugunt cum lacte materno venenum, quod ex inferno habent Lutherus, Calvinus, Zvinglius &c. Contra hoc venenum debent Patrini Antidotum, vel Alexipharmacum porrigere. Porro filii Spirituales non sunt in defectum Parentum nutriendi à Patrinis: Etenim neque Lex, nec ratio, nec consuetudo hoc exigit. Ita Gobat in suo Quinario tract. 5. cap. 28. num. 39.

110 **Petes:** An Impubes possit esse patrinus, & an idem simul possit esse baptizans, & Patrinus respectu ejusdem? Resp. Ad I. Ut quis possit esse etiam valide Patrinus debet ita esse compos rationis, ut possit peccare mortaliter, Gobat tract. 9. numer. 173. Quia Patrinus suscipit in se gravem obligationem instruendi in fide suum filiastrum, quam nemò suscipere potest, qui non potest peccare mortaliter. Hinc ante septennium non debet aliquis admitti in Patrinum; quia ante hanc ætatem communiter quis non potest peccare mortaliter; Imò quia in Germania usus rationis, & potentia peccandi mortaliter, juxta Gobat citat. modò advenit puellis octennibus, & pueris novennibus, non autem citius communiter; hinc si Germanus Puer, vel Puella ante hanc ætatem, susciperet infantem ex Baptismo, in dubio de sufficiente usu rationis, non contrahe-ret cognationem spiritualem, nec impedimentum Matrimonii. Itaque convenit, ut Patrini sint saltem Puberes, & sacro Chrismate confirmati. La Croix lib. 6. part. 1. num. 3. nihil impedit, quin Patrinus sit junior filiastro, si hic

si hic in adulta ætate baptizetur. Gobat tr. 2. num. 555. Habenda tamen est ratio moris Diocesani, & decentiæ. 111 **Resp.** ad II. Idem non potest simul baptizare infantem, & ejus esse Patrinus. D. Thomas hic quest. 67. art. 7. Valentia tom. 4. quest. 2. punct. 3. Suarez, Gobat cit. numer. 585. Ratio est: Quia talis mos adversatur Juri Canonico, atque communi sensui Doctorum, sanè neque sacri Canonis prohiberent, ne Monachi sint Patrini; neque Doctores dicerent, omissionem Patrini in Baptismo solemnè continere culpam lethalem, si idem esset quandoque simul Patrinus, & Baptista. Et cum principaliter ad Patrinum, quàm ad Matrinam spectet, respondere baptizanti, quærenti de Nomine, fide, & abrenuntiatione Infantis, fungeretur talis Parochus munere interrogantis, & respondentis? Interrogatio quidem, & responsio casu conveniunt; at non eidem subjecto. Deinde Patrini sunt ab Ecclesia instituti, & designati, ut modò geniti in Christo haberent, à quo ultra Episcopum, Parochumque, qui sunt ordinarii Ministri hujus Sacramenti, instruere in fide, sicut patet ex S. Dionysio, quem sequitur Sancti. Thomas quest. 67. artic. 8. Ergo stante Jure antiquo non licet curatoribus animarum suscipere è sacro fonte illos, quos ipsi abluerunt; quem morem, Teste Gobat citat. observat in hodiernum diem Ecclesia, ut proinde repugnent institutioni Patrinorum, & mori Ecclesiæ, qui contrarium faciunt, non tamen erunt Rei peccati, si nitantur antiqua consuetudine vigente in Diocesi, tolerataque ab Episcopis. Quid si autem ipse Baptista substituat Alium, qui suo, id est, baptizantis Nomine teneat infantem? Respondet P. Adamus Burghaber in sua Centuria 2. num. 64. saltem cum hujusmodi moderamine, posse quem baptizantem esse, & simul Patrinum, quod P. Gobat cit. judicat non improbabile, saltem in sententia docentium, cognationem, adeoque onus instruendi, contrahi à Procuratore.

§. IV. Officiu, & Cognatio Patrinorum: Item Munus Parochi circa Librum baptizatorum.

112 **I.** Ille, quem vulgò nominamus Patrinum idèò sic vocatur, quòd sit veluti Pater spirituales baptizati. Hujus officia sunt: baptizandum offerre Sacerdoti: Respondere pro baptizando, quando ipse per se nequit respondere; tenere baptizandum, dum baptizatur, & levare de fonte, maxime si baptismus fiat per immersionem; suscipere baptismum de manu baptizantis, unde & Susceptor vocatur; baptizati curam gerere in Christiana instructione; Tenetor enim suos filiastròs docere veram Religionem. S. Th. q. 67. art. 7. est quippe primitivè ob hanc præcipuè causam institutus, ut patet ex cap. vos ante, de consecr. dist. 4. Et quidem hæc obligatio est per se loquendo gravis. Palaus punct. 11. §. 1. num. 3. Gobat num. 563. Etenim subrogatum sequitur qualitates illius, cui subrogatur: Patrini verò subrogantur Parentibus, Quòd si tamen tuum filiastrum femel doceris necessaria ad salutem, isque comprehenderit, quæ docuisti, & postea obliviscatur, non teneberis denuo inculare, hoc enim onus perpetuum non est injungendum sine claro Jure. Layman hic cap. ultim. num. 1. rectè addens, jam esse rarum usum, seu effectum memoris obligationis; quandoquidem solent infantes erudiri à Parentibus, Pædagogis, Ludimagistris. Quamquam illi Catholici, qui rogatu Parentum A catholicorum levant et lavacro Christiano ipsorum proles, obligentur in actu secundo sæpius, quàm Patrini Catholicorum: quandoquidem tales proles iugunt cum lacte materno venenum, quod ex inferno habent Lutherus, Calvinus, Zvinglius &c. Contra hoc venenum debent Patrini Antidotum, vel Alexipharmacum porrigere. Porro filii Spirituales non sunt in defectum Parentum nutriendi à Patrinis: Etenim neque Lex, nec ratio, nec consuetudo hoc exigit. Ita Gobat in suo Quinario tract. 5. cap. 28. num. 39.

113 **II.** Patrinus (sicut & baptizans) contrahit cum suo filiastro, seu baptizato, hujusque Parentibus Patre scilicet, & Matre cognationem spiritualem, & impedimentum dirimens Matrimonium contrahendum. De quo plura. Vide apud P. Sporer Theol. Sacram. part. 4. cap. 1. sect. 1. num. 86. & seqq.

114 **III.** Recusare officium Patrini, vel Matrinæ; per se seu Rationi objecti, non continet ullam culpam. Gobat cit. num. 685. Ratio est: quia ubi non est Lex, ibi nec prævaricatio, Rom. 4. Atqui nulla Lex Divina, humane præcipit, ut quis rogatus in Patrinum, acquiescat petitioni, cum sanctio illius officii habeat aliquas obligationes annexas, nonnullis molestas: Ergo. Si tamen quis ex superbia, aliove pravo motivo, recuset officium Patrini, utique peccat. Idem dic in casu, quo nulla rationabilis causa sub-

est detestandi hoc Christianæ Pietatis officium, & si detrectetur, adfertur notabilis mæror Parentibus baptizandi, aut gignetur scandalum. Hinc quilibet imitari debetur Ferdinandum II. Devotissimum Imperatorem, qui è sacro fonte libens infantes suscepit, quoties vel proceribus, vel etiam è famulis domesticis aliquis id expetit. Gobat cit.

115 **IV.** Concilium Trident. sess. 24. de reform. Matrim. cap. 2. Ita statuit: Parochus, antequàm ad baptismum conferendum accedat, diligenter ab iis, ad quos spectabit, sciscitetur: quem, vel quos elegerint, ut baptizatum de sacro fonte suscipiant; & eum, vel eos tantum ad illum suscipiendum admittat, & in libro eorum Nomina describat, doceatque eos, quam cognationem contraxerint, ne ignorantia ulla excusari valeant. Ex quo Quintanadvennas singul. tract. 4. sing. 2. damnat peccati mortalis Parochum, qui scienter, & ex negligentia, frequenter, seu plures baptizatos non scribit; quia videlicet Conc. Trident. loc. cit. vult, arbitrio Ordinarii puniri negligentes, & multa incommoda oriuntur ex hac negligentia. Possevinus q. 44. fert æquè rigidam sententiam sine limitatione ad frequentiam, quia scilicet vergit in magnum præjudicium. Quapropter vehementer hortor Dominos Parochos (ait Gobat 589.) ut novent diligentissimè non solum diem Baptismi ipsius, sed natalivitatis, imò etiam horam, qua quis natus est. Nam primum hoc anno quidam ex Ordine Seraphico, Excelsi ingenii Religiosus debuit abstinere ex jure communi ab Ordine sacro, quòd deesset illi unica hora: Alius, quòd non esset scriptum, utrum ante, vel post prandium prodisset in lucem. Inducentur autem Domini Parochi ad tantò sedulius, fideliusque condescendendum huic cohortationi, si meminerint, talem librum, seu Registrum facere plenam fidem coram quovis Tribanali, quando est Quæstio, vel de Baptismo revera collato, vel de ætate. Barbosa de Paroch. part. 1. cap. 2. nu. 5. & Quintanadvennas loc. cit. sing. 3. num. 2. cum multis aliis apud ipsos. Nam Parochus est in tali, & pro tali actu Notarius Publicus. Gobat num. 590. Quando offerunt se plures Patrini, quàm permittat Tridentina synodus, inscribenda sunt dumtaxat Nomina duorum, qui primi tetigerunt infantem; quia hi solum fuere veri Patrini. Vide P. Sporer de Matr. cap. 1. sect. 1. num. 94. Quando verò quis per Procuratorem levat alium de fonte, providè aget Parochus, si scribat Nomen utriusque, primi tamen expressè ut mittentis, alterius ut missi. Item exactè specificandum, quando quis fuit Patrinus in baptismo non solemnè, & in Conditionato, quandoquidem ex neutro horum oritur impedimentum Matrimonii. Gobat num. 594.

SECTIO IV.

De baptismo Flamini, & Sanguinis.

116 **D**iximus in principio hujus Capitis, Baptismus esse triplicem, videlicet baptismum fluminis, baptismum fluminis, & baptismum sanguinis. Hinc tamen non sequitur, ut notat Glossa c. baptisimi vicem, de consecr. dist. 4. Tria esse Baptismi Sacramenta; quia Baptismus fluminis tantum est Sacramentum, qui est unicus in Essentia, & specie Athoma, juxta illud S. Pauli, ad Eph. 4. Unus Dominus, una fides, unum baptisma; quem locum de Unitate specifica interpretatur ibi S. Chrysostomus. Reliqua verò duo non sunt Sacramenta; quia, ut Glossa loquitur, non sunt accedente verbo ad Elementum, sed vicem tantum Sacramenti supplendo per cordis contritionem, vel Sanguinis pro Christo effusionem; quia sic, inquit Glossa, mundatur Homo à peccatis per Penitentiam, vel Sanguinis effusionem, sicut per lavacrum Baptismi. Sit itaque.

QUÆSTIO I.

An baptismus Flamini suppleri possit per baptismum Flamini?

SUMMARIUM.

- 118 Quid sit baptismus flaminis?
- 119 In defectu baptismi fluminis sufficit baptismus flaminis ad justificationem, & salutem.
- 120 Sufficit aliquando etiam vorum baptismi implicitum.
- 121 Baptismus flaminis non supplet baptismum fluminis in omnibus.

ASSERTIO I.

122 **B**aptismus flaminis in defectu baptismi fluminis sufficit ad obtinendam justificationem, & salutem; & quamvis regula-



regulariter loquendo, requiratur votum baptismi fluminis explicitum, sufficit tamen in aliquo casu etiam implicitum. Licet autem baptismus fluminis supplere possit baptismum fluminis, quoad remissionem peccati, tum originalis, tum personalis, nec non quoad gratiae infusionem, non tamen in omnibus, nec eodem omnino modo supplere potest. Est communis DD. apud Scotum, Magistrum &c.

§. I. Baptismus Fluminis

118 **E**st perfecta ad Deum conversio, videlicet Amor Dei super Omnia, vel Contritio Perfecta includens desiderium, seu votum Baptismi vel explicitum, vel implicitum suscipiendi Sacramentum Baptismi fluminis in re: Explicitum quidem, si quis expressè peteret Baptismum fluminis; Implicitum verò: Si quis invincibiliter ignorans, vel inculpabiliter non advertens necessitatem Baptismi, habere actum amoris Dei super omnia, vel contritionis perfectam, in quibus virtualiter, & implicitè continetur voluntas, & propositum servandi omnia Dei praecepta. Ita D. Thomas hic qu. 68. art. 2. Gregorius de Valent. hic qu. 3. punct. 4. Vasquez hic disp. 152. cap. 1. Suarez hic disp. 27. sect. 2. Gobat. cit. casu 18. num. 637. Ratio est: quia solus amor Dei super omnia, & contritio perfecta extra Sacramentum, & Martyrium justificat, ut docent Theologi in Materia de gratia, & justificatione, & consequenter, si quis haberet solum nudum desiderium, vel propositum suscipiendi Baptismi Sacramentum, sine actu amoris Dei super omnia, vel contritionis perfectae, talis non haberet Baptismum fluminis, per quem justificaretur, quòd bene notandum, & inculcandum pueris in Doctrina Christiana, & poenitentibus in sacro tribunali. Insuper observandum, si adultus haberet solum peccatum Originale, sine personali, ut talis haberet Baptismum fluminis justificantem, deberet elicere amorem Dei super omnia, quia de peccato originali non debemus, aut proprie possumus atteri, vel conteri. Gobat. cit. num. 638. Si verò adultus haberet peccatum personale, prae ter originale, tunc ut contritio sufficiens esset ad delendum originale, concipienda foret de peccato personali; Nam ut mox dictum, de originali non debemus, aut proprie possumus atteri, vel conteri. Quòd si habeat animam inquinatam peccato mortali, clarum est, attritionem de illo, sicut non sufficit extra Sacramentum ad delendum peccatum mortale, ita neque sufficere ad originale delendum. Nam originale non dimittitur, nisi per infusionem gratiae sanctificantis, quae infusio non peragitur cum sola attritione extra Sacramentum, aut martyrium. Secùs est, si ei adjungatur Sacramentum Baptismi, aut Martyrium. Hanc rationem applica habenti solum veniale cum originali.

§. II. In defectu baptismi Fluminis sufficit ad obrinendam justificationem, & salutem.

119 **E**st certa de fide. Patetque ex traditione Ecclesiae, & cap. Apostolicam, de Presby. non bapt. eamque docet Scotus 4. disp. 4. q. 6. estque contra Michaellem Bajum, qui docuit, Catechumenos posse quidam obtinere perfectam, & sinceram charitatem non tamen remissionem peccatorum ante realem susceptionem Baptismi. Hæc propositio damnata est à S. Pio V. inter Bajanas, ordine 43. Ratio hujus desumitur, tum ex S. Scriptura, ubi hominibus Deum super omnia amantibus, aut verè poenitentibus promittitur justificatio, & remissio peccatorum: ut Proverb. 10. universa delicta operit Charitas. Luc. 7. Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum: Ezech. 18. si egerit Poenitentiam impius, vita vivet, & non morietur. Potest autem homo adultus amare Deum super omnia, & verè poenitere ante susceptionem Baptismi: ergo potest tunc consequi remissionem peccatorum, & gratiam justificantem tum ab exemplo Centurionis, qui ante susceptum Baptismum fuit justus, ut patet Act. 3. tunc ex Conc. Trid. sess. 6. cap. 4. ubi ait, post Evangelium promulgatum, neminem transferri à statu peccati ad statum gratiæ sine lavacro regenerationis, aut ejus voto. Tum ex hac ratione: Quia Deus in Lege nova per Sacramentorum Institutionem, viam salutis non coarctavit aut præcluserit hominibus, quin etiam per proprios actus, ex opere operantis justificari possent, & salvari, ut in Lege antiqua fiebat. Quare sicut homo baptizatus mortaliter peccans, per actum amoris Dei super omnia, vel contritionis perfectam, & votum Sacramenti Poenitentiae justificari potest ante realem ejus susceptionem. Sic pariter per eodem actus, votum Baptismi includentes justificari poterit ante realem ejus susceptionem.

§. III. Cum Voto baptismi Fluminis explicito, & aliquando etiam implicito.

120 **L**icet regulariter loquendo votum Baptismi debeat esse explicitum: tamen in aliquo casu sufficit etiam votum Baptismi in actu amoris Dei super omnia, vel contritionis perfectae inclusum, & non necessariò requiritur explicitum sed implicitum sufficit. Communis DD. apud Magistrum in 4. disp. 2. quest. 7. artic. 1. num. 172. Ratio est: quia Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 4. dicit, perfectam Contritionem (idem est de Amore Dei super omnia) esse sufficientem dispositionem ad gratiam, in ea autem includitur votum Baptismi saltem implicitè, quia in ea includitur propositum servandi omnia mandata, & implendi omnia ad salutem necessaria. Deinde numquid homo instructus in articulis necessitate medii credendis, & habens ignorantiam inculpabilem Baptismi, potest elicere amorem Dei super omnia, & contritionem perfectam, per quos actus utique justificaretur, & tamen non haberet votum baptismi explicitum; cum supponatur de hoc nihil scire: Ergo etiam Homo habens Baptismi notitiam habitualement si subito excitaretur ad considerationem bonitatis Dei, & suorum peccatorum, & ex naturali inadvertentia, vel inconsideratione, nihil cogitans actualiter de Baptismo, moveretur ad dilectionem Dei super omnia, vel contritionem perfectam: justificabitur sine expresso voto Baptismi.

§. IV. Baptismus Fluminis, tamen non supplet baptismum Fluminis in omnibus.

121 **I**ta communis apud Magistrum cit. num. 173. Nam imprimis non semper vices Baptismi fluminis supplet quoad poenae relaxationem, quamvis enim suppleat quoad poenae æternæ condonationem, non tamen quoad totius poenae temporalis relaxationem. Nam sæpè amor Dei, vel contritio perfecta illius perfectionis gradum non attingit, qui mereatur totius poenae temporalis condonationem, cum enim poenae temporalis condonatio, in quam virtute justificationis commutatur æterna, fiat in amore Dei, vel contritione, per modum condignæ satisfactionis, quando amor Dei, vel contritio non attingit talem gradum perfectionis, ut sit satisfactio adæquata pro tota poena temporalis, in quam æterna est commutata planè in tali casu vicem non supplet Baptismi fluminis quoad totius poenae relaxationem. Deinde numquam supplet, imò nec supplere potest quoad Characteris impressionem; hic enim non nisi à Sacramento Baptismi imprimitur, alioquin, qui solo amore Dei super omnia, vel contritione perfecta semel foret justificatus non amplius teneretur, imò nec posset Sacramentum Baptismi suscipere; cum hoc ab habente characterem baptismalem suscipi non possit, ratione ejus iterari non potest. Denique quamvis amor Dei super omnia, vel contritio perfecta in adulto vices Sacramenti Baptismi suppleat in gratiæ sanctificantis collatione, non tamen eodem modo: quia Sacramentum Baptismi gratiam confert ex opere operato: non sic amor Dei, vel contritio: sed tantum ex opere operantis, etiamsi votum Baptismi includant: nullum enim Sacramentum gratiam confert ex opere operato, nisi actu, & re ipsa susceptum. Ex his

122 **I**nfertur, quòd si quis citra mortis articulum habeat amorem Dei super omnia, vel contritionem perfectam antequàm copiam habeat suscipiendi Baptismi Sacramentum, ex tunc justificetur, licet postea teneatur Baptismum suscipere opportuno tempore: Si verò morti proximus non possit, antequàm decedat, Baptismi Sacramentum consequi; habeat autem dilectionem Dei, vel contritionem perfectam, ac votum suscipiendi Baptismum saltem implicitum, & virtuale, per generale propositum adimplendi omnia, quæ sunt ad salutem necessaria, hic omnino in virtute talis contritionis, vel dilectionis Dei justificabitur, & salvabitur. Magistrum num. 174.

Q U Æ S T I O II.

De baptismis Fluminis in adultis possit suppleri per baptismum sanguinis.

S U M M A R I U M.

124 Martyrium potest supplere baptismum, si hoc non possit suscipi.

125 Mar-

- 125 Martyrium confert gratiam justificantem, & remissionem omnis culpa, & poenae.
126 In instanti determinato ante mortem.
127 Quid de Martyrio ante Adventum Christi dicendum?
128 Corollaria.

A S S E R T I O II.

123 **B**aptismus Fluminis Adultorum, quando suscipi non potest, suppleri potest per baptismum sanguinis, seu martyrium, quod per se, & quasi ex opere operato habet vim conferendi gratiam justificantem, & delendi omnia peccata, & tollendi omnem reatum poenae, quem effectum confert in aliquo instanti determinato ante mortem, ac etiam iam conferebat Martyribus ante Adventum Christi. Est communis apud Auctores citandos.

§. I. Baptismus Fluminis adultorum, quando suscipi non potest, suppleri potest per baptismum sanguinis, seu Martyrium.

124 **I**ta affirmant sancti Patres passim, & Theologi omnes, teste Magistro in 4. disp. 2. qu. 7. art. 2. nu. 180. Doctores Seraphicus, Angelicus, Subtilis, & Irrefragabilis apud ipsum, Ratio hujus desumitur ex promissione Christi, qui voluit hoc speciale privilegium concedere iis, qui pro ipso moriuntur, ut non minus in sanguine: quàm in aqua Baptismi dealbari possint. Nam (ut notat S. Augustinus lib. 13. de civit. Dei, cap. 7.) Qui dixit. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, etiam dixit: omnis qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego coram Patre meo. Et qui perdidit animam suam propter me, inveniet eam. S. Thomas quest. 87. art. 1. ad 2. sic habet, Passio pro Christo suscepta obrinet vim baptismi, & ideo purgat ab omni culpa, & veniali, & mortali, nisi actualiter voluntatem peccato invenierit inherentem.

§. II. Martyrium per se, & quasi ex opere operato, confert gratiam justificantem, & remissionem totius culpa (si nimirum sit satis retractata) & poenae.

125 **I**ta communissima, quam docet Scotus in 4. disp. 4. qu. 6. quem præter Scotistas, passim sequuntur Recentiores, Vega, Bellarminus, Suarez, Henriquez, Valentia, Tolotus, Coninch, Lessius, Tannerus, Amicus, Aversa, Bonacina, & alii. Ratio est: I. Quia sancti Patres adscribunt Martyrio eandem vim, & efficaciam, quam Baptismo, ut patet ex §. præced. signanter ex S. Augustino cit. ubi inter cætera sic habet: Quicumque etiam non percepto regenerationis lavacro pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum, si abluerentur fonte baptismatis, sed Baptismus confert per se, & ex opere operato gratiam justificantem, remissionem omnis culpa, & poenae: ergo etiam martyrium. II. Quia martyrium profuit Innocentibus ex opere operato; ergo idem est in adultis. III. Quia ut inter omnes receptum est, triplicis generis sunt Baptismata, Fluminis, Fluminis, & sanguinis, ac si martyrium suam efficaciam justificandi homines, & delendi peccata, haberet ab actu charitatis, vel contritionis perfectae, & non per se, & ex sua virtute, baptismus sanguinis non distingueretur à Baptismo fluminis, quia etiam hic totam suam virtutem habet ab actu charitatis, vel contritionis perfectae: Ergo. IV. Quia cap. cum Maribæ, de celebrat. Missæ. Innocentius III. ait: Injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre (quod est desumptum ex S. Augustino tract. 84. in Joannem, & alibi) si autem martyrium non deleter omnem culpam, & poenam, esset indubiè pro martyre, uti pro aliis orandum, & sacrificandum, ut à poenis fortè restantibus liberaretur. Dicitur est: Si culpa sit satis retractata: quia sicut quis potest baptizari cum affectu alicujus peccati venialis, ita potest cum simili affectu martyrizari: quo casu sicut nec Baptismus, sic nec martyrium remitteret culpam aut poenam istius venialis. Docet tamen Herinex disp. 8. de baptismo, qu. 1. n. 22. in casu, quo martyr moreretur absque sufficienti retractatione peccati venialis, illud simul cum poena temporali condonari in primo saltem instanti post vitam, intuitu præcedentis martyrii; accedente tunc retractatione, velut conditione sine qua non: quia Ecclesia invocat, & colit martyres statim post mortem, nec pro illis orat, esse in via sæpiùs graviter, & leviter peccaverint. Ergo supponit omnem culpam, & poenam vi martyrii illis esse remissam.

§. III. Martyrium confert suum effectum in aliquo instanti determinato ante mortem.

126 **N**imirum, quando homini jam sunt lethalia vulnera inflicta, ut dicatur constitutus in articulo mortis naturaliter jam inevitabilis: quia nimirum tunc martyrium, licet non totaliter consummatum, tamen coram Deo habetur pro completo, nam quando martyr lethalia vulnera recipit, dicitur mortuus in causa, & secundùm naturæ ordinem debet mori, non ob aliam causam, nisi quia talia vulnera est passus: unde congruum est, ut eo tempore martyrii effectum consequatur. Ita Vega, Valentia, Suarez, Amicus, Aversa, Henriquez, Coninch, Bonacina, & alii recentiores, eosque citans Magister in 4. disp. 2. qu. 7. num. 193. & hoc idem supponit Doctor noster Subtilis in 4. disp. 4. qu. 6. cum inquit: quòd si Baptizatus Baptismo sanguinis super-viveret, teneretur suscipere Baptismum fluminis, in quo casu etiam supponit, hujusmodi hominem martyrii coronam non amissurum, quod colligitur ex sensu Ecclesiae, festum Sancti Joannis Evangelistæ celebrantis sub ritu martyris, qui in ferventis olei balneo immersus, à morte præservatus fuit, ac etiam Divinæ providentiæ valde consentaneum, quòd Deus in tali casu, eum in gratia confirmaret, quem miraculosè detinet, ne gloriam consequatur, quam infallibiliter hic, & nunc consecutus erat: confirmaret, inquam, illum in gratia pro toto tempore sequenti vitæ suæ; ne detrimentum patiatur ex incolumitate sibi miraculosè conservata, vel reddita, dum ipse alacriter se exposuerat morti pro Christo. Quòd diximus hic de martyrio adultorum, etiam dicendum est de martyrio infantium.

§. IV. Martyrium contulit prædictum suum effectum, etiam Martyribus ante Adventum Christi Domini.

127 **I**ta docent Suarez, Amicus, Magister, Herinex citat. num. 23. & alii contra nonnullos. Patet ex Machabæis qui tanquam martyres ab Ecclesia coluntur. Unde Nazianzenus orat. 20. quæ est de Machabæis: docet: illos in fide consecutos esse justitiam, & effectos esse vere candidiores. Consentit etiam Tertullianus, quem refert. & sequitur Henriquez lib. 2. capit. 36. numer. 1. Quòd ulterius patet exemplo martyrum Innocentium, & S. Joannis Baptistæ. Quidni ergo martyrium etiam suum effectum habuerit ante Adventum Christi, imò ab initio mundi? Siquidem causa, cur prædictus effectus, seu privilegium conferendi gratiam, & delendi omnem culpam, & poenam, fuerit martyrio concessum, hæc est, quòd martyrium sit perfecta, & realis configuratio cum morte, & Passione Christi, sed hæc causa non requirebat mortem, & passionem Christi actu exhibitam, ut Deum moveret ad concedendum hunc effectum, & privilegium martyrio, sed fat erat esse vivam, ut futuram, ut constet de martyrio Joannis Baptistæ, quòd Christi mortem, & passionem præcessit: ita dicitur Suarez cum Amico, qui addit: omnino decens fuisse, ad honorandam Passionem, & mortem Christi, ut ipsius intuitu adhuc futuræ Deus hunc martyrii effectum, & privilegium concederet omnibus, qui saltem propter implicitam ejus fidem, morte patienter tolerata realiter se conformaturi essent cum futura morte, & passione ejusdem. Actamen Christo, necdum passio, etiamsi nato, & prædicante martyres non fuissent statim Cælum ingressi; cum cæli janua necdum pateret. Ex his sequuntur quædam

C O R O L L A R I A.

128 **P**rimum est: Quòd martyrium, licet ex propria efficacia, & opere quasi operato, moraliter tamen, & non physice, conferat suum effectum, sicut Sacramenta: propterea tamen non sit Sacramentum. Quia Sacramentum est actio quædam sacra, ac sancta ad cultum Dei ordinata, à Christo instituta, & à Ministris ad hoc ordinatis ministranda; martyrium verò, cum ex impietate Tyrannorum proveniat, nedum sacra actio non est, sed potius est actio impia, sacrilega, & à ministris Diaboli perfecta. Hoc insuper fatemur, si unus Martyr eliciat intensiores actus charitatis, cæterarumve virtutum, ex opere operantis majorem utique gratiam, & gloriam consecutus esse. Secundum est: quòd martyrium non suppleat Baptismi Sacramentum in omnibus, quia martyrium non imprimit Characterem baptismalem, quod patet ex eo, siquidem si martyr supervivat, tenetur ad Baptismi Sacramentum re ipsa suscipiendum; non teneretur autem, imò non posset Sacra-